



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo

Zype, Frans van den
Antverpiæ, M. DC. XLV.

Resp. III. De causis soluendorum sponsalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

11. Culpam agnoscere ad reconciliationem monendus à iudice & instructus.

Quod si neque peccati venia datur nisi correctio: c. 5. de reg. iur. in 6. legatur, inquit Gelafius Papa 24. q. 2. c. 2. ex quo est religio Christiana, vel certe detur exemplum in ecclesia Dei, à quibus licet Pontificibus, ab ipsis Apostolis, ab ipso denique Salvatore ventum, nisi se corrigentibus, fuisse concessam: & cum ut diximus vtrique inter hos coniuges peccatum sit; & singulariter ab Appellato, qui tamen in sua generali responsione ad d. articulum non tantum se quippiam peccasse non dicit, sed sponte sub iuramento calumniæ ait, se numquam diuortio causam dedisse, adeoque negare videtur, vtiq; ad agnoscendam culpam est instruendus; censura Iudicis de moribus; & ad emendationem monendus. primus autem emendationis gradus est culpæ agnitio. sine qua propterea non speratur facile correctio: & sic nec venia danda, nisi agnoscanti & promittenti, & in spe correcto. Idemque de appellata dicendum: & vtrisque inculcandum confite-
mini alterutrum peccata vestra ex D. Iacobo c. 5. & honore inuicem praueniens ex D. Paulo ad Roman. c. 12. & Appellato illud itidem D. Pauli. Viri diligite uxores vestras, & Appellanti ex D. Petro 1. ep. c. 3. Mulieres subdite sint viris suis: denique vtrisque ex D. Paulo ad Ephes. c. 4. supportantes inuicem in charitate. hæc Christi præcepta sunt; hæc si Appellatus satis impleuisset; merito dicere posset sibi non plus à Iudice imponi posse: cum non fecerit; merito vocatus coram eo adesse, censerit, & moneri debet.

RESPONSVM IV.

De causis soluendorum sponsalium.

Quod qui sacrilegò dolo suppositi cacnla, in vicem pa-

rochi sacerdotali veste induti, decepti virginem, ut euadat obligationem eam ducendi, nunc allegat fictas fuisse promissiones, chirographo quamuis & iuramento firmatas, altera improbitas est: ad atheismum vergens, ut illius,

Iupiter ex alto periuria ridet amantum.

Deus non irridetur. ideoque huiusmodi exceptio pro dolo non præsumitur: nihil autem illius, prout oportuerat, probauit reus: habendum ergo est illius chirographum pro vero. & quamuis daretur scriptum esse etiam ad placandos parentes; verum tamen esse, quod in eo narratur; ac præextitisse, de ducendo adricem in uxorem, promissa; voluisse reum conscientiam suam satisfacere; iurasse matrimonium se solemnizaturum; ex causis arcanum haberi ad tempus debuisse. Non arbitror, inquit l. labeo. 7. §. Idem Tubero. D. de supellect. leg. quemquam dicere (minus scribere) quod non sentit.

Neque potest elui huiusmodi iuris præsumptio oblato in contrarium iuramento. c. per tuas. X. de probat. quia nimis, inquit, indignum sit, ut quod quisque sua voce dilucide protestatus est, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare. vide Menoch. præf. l. 6. p. 35. l. 1. q. 22. l. 3. p. 1. n. 36. 37. vnde in c. tua nos. X. de sponsal. ubi allegatur quis fidei desponsasse aliquam, ut illius copia potiretur, cum aliter inducere illam nequiuisset ad copulam; respondet Pontifex; fore pro matrimonio præsumendum: nisi tu, inquit, nobis expressè scripisses, quod ille non proposuit, nec consensit illam ducere in uxorem; quod qualiter tibi constitit, non videmus; vidisset autem facile Pontifex, si id iuris esset, ut iuramento posset huiusmodi fictio probari. habent Pontifices enim iura in scrinio pectoris. c. 1. de cons. in 6.

Duas autem profert reus causas

1. Præsumtio est contra scribentem.

2. Que contrario iuramento non eluitur.

fasolidendi obligationem sponsalium: inæqualitatem ex humili actricis genere, quam ignorauerit, & secutas inimicitias.

Quod pertinet ad notitiam qualitatis: Reus triennio & amplius quotidianus fuit procius in ædibus actricis: aduersatur ei Ulpianus in l. qui cum alio contrahit, vel est vel esse debet non ignarus conditionis eius. D. De regul. iur. quod si vera hæc esse putetur ignorantia; cessat fictio; cui inæqualitas pro causa assumitur: neque contraria simul fingere reus potest: neque ob causam ignoratam fingere.

Quod ergo spectat generis utriusque ac qualitatum imparitatem; sciendum est reum ex illa gente esse, ubi omnes hidalgui vocantur, seu nobiles, qui non ex infecto Maurorū sanguine, nec vilium opificum natilunt, sed parentibus, qui succo suo iam olim vixerint. vide Guiet. pract. q. l. 3. q. 13. vt neque hic reus aliqua nobilitatis maiorum diplomata profert: & super factis, ex quibus elicere vult nobilitatem, nullos testes produxit: sed aliqua Instrumenta dumtaxat, in quibus narratiuè quædam referuntur. cùm certi iuris sit istiusmodi nō probare, ne quidem literas Papæ. si summus. de sent. excom. in Clement. nisi quæ narrantur coram se gesta. elem. liter. de probat. quæ autem concepta sunt in formam testimonij, nullius momenti sunt: testibus siquidem non testimonij est credendum. l. 3. §. ideoque. D. de test. vbi reiectus est actor, quia inquit Adrianus, non probabat, nec testes producebat, sed testimonij vti volebat, quibus apud me locus non est.

Et quamquam Bartholus in l. 1. C. de dignitas. l. 12. generatim dicat militiam nobilitare; non tamē id receptum est: & vix hīc si & magistratum militare milites gesserint, ac denique vt summum, non nisi quoad communem nobilitatem, quam actrix non negat.

nam vt eximia sit nobilitas, magni pluresque magistratus requiruntur. vnde ille:

Auum tibi maternus fuit atque paternus, Olim qui magni legionibus imperator, & in d. l. 1. C. de dignitat. si auum, inquit, consularem & patrem prætorium habuisti, claritatem generis retinetis. vtique si maiorum virtutes retineant nepotes: alioquin si vitiorum mancipia fuerint, honoribus exuuntur; & inter plebeios censentur. l. 12. C. cod. vnde rectè dixit Socrates nullam esse differentiam inter bailulum & Alcibiadem, si virtus abesset. & propterea l. 28. C. de nupt. certamen competitorum procorum ex genere, & moribus tantum admittit.

Insuper considerandum est apud Hispanos autum omne patrimonium primogenito deferri, alios ab eius liberalitate pendere, puberes gladio cingi, in regiam militiam mitti, omnium egenos.

Plautus autem iudicabat præstare diuitem esse, & popularem, quàm nobilem & mendicum, & quamuis in rei veritate fortuna non mutet genus, neque paupertas, aut diuitiæ quoad nuptias: l. 7. C. de incest. nupt. ex iudicio tamen communi faciunt ad personarum inæqualitatem. vt apud ipsos Romanos dedit olim census honores. Auth. de defensor. in princ. vnde Tiraquell. de nobilit. c. 3. Borell. de magistr. c. 13. & ipse Aristoteles etiam lib. 3. polit. c. 6. sibi nobiles videri dixit, quorum maiores diuitijs & honore floruisent, adeoque vix in numero manent

Quorum conatibus oritur
Res angusta domi.

Nunc quod atinet parentes ipsos actricis; vixerunt sine labe, si ne exercitio artis mechanicæ quales multorum locorum iure consuetudinario pro nobilibus censentur. & de iure etiam Romano tractat Tiraquell. de nobilitat. c. 4. & Hispani eo iure vtuntur.

Accedit quod actricis pater cævitæ & industriæ laude se gesserit,

3.
Notitia
inæquali-
tatis præsumitur in eo
q̄. cum
inæquali
contrahit.

4.
Examina-
tur nobilitas & par-
tium non
nimis mag-
na inæqua-
litas.

vt iuuenis diuerfas prouincias lustraturus, postquam domesticus fuerat alicui ex illustissima familia de Oforia (quod nihil natiuitati nocet, l. 7. C. de incest. nupt. quauis seruilia obsequia præstitisset l. 22. C. de probat.) in Hispania adscitus sit in familiam Alberti Archiducis Principis nostri, eique ad extremum vitæ domestico cubiculi ministerio obsecutus: & quis non patet, inquit Nonella 8. magno honore compleri eum, qui Principis decreto, iudicioque ad cingulum venit? nam & tales principalis lateris commitatus illustrat. l. vn. C. de præpos. labor. l. 12. l. 1. 24. C. eod. lib. de præpos. sacri cubiculi. & de omnibus cubicularijs. vbi non agitur de summis tantum cubicularijs, qui hodiè non sunt nisi magnates: sed etiam sua proportionem de inferioribus. quippe lex 4. ibidem. decernit, seruos etiam ad cubiculi officium admissos, eo ipso liberos fieri non tantum, sed & ingenuos. fauet & l. 1. C. de domell. & qua tradit Tiraguell. de nobilit. in princip. Vt vt sit iure Romano, negare nemo potest, quin apud eam gentem, quæ pro nobilibus habet omnes, qui nulli vili opificio fuerint addicti, multò magis inter tales recipi deberent, qui in domestico obsequio cubiculari Principum suæ premorum sunt: plurimumque apud illos veri habere illud; *Dignitas est seruum esse potestis.*

Sicut etiam si verum est, quod filia Comitis I. Burgundi nupserit auo rei inferiori, claritatem generis amisit. d. l. 1. C. de dignitat. deinde quærendum esset, si ad rem nostram faceret, qua nativitate fuisset illa filia.

Sed & vitæ honestas, sine vili conditione, aut exercitio, cum moderatis facultatibus, simplici nobilitati, ac pauperi, nec virtutibus deditæ, longè anteposenda est. pulchrè Gregorius in Pastoralibus, quis nescit, quod in natura gemmarum carbunculus hiacinto præfertur?

& tamen cerulei coloris hiacintus præfertur pallenti carbunculo? quia illi, quod ordo nature subtrahit, species coloris adiungit; & hunc, quem naturalis ordo prætulit, coloris qualitas deprimat.

Demus ergo nobilitatem rei armis quæsitam, quamquam nulli maiorum vnquam magnis legibus imperitarunt, paulò esse maiorem, quam nobilitatem ex domesticis Principum obsequijs, alijs vtriusque circumstantijs illa inæqualitas compensatur sanè, aut superatur: moribus, decore vultus, habitu corporis, omnibus alijs in virgine communiter æstimatis gratijs, & virtute: nobili etiam affinitate per sororem ipsius dominam pagi de G. contracta, alijsque.

Sed eo maximè, quod Reus sit homo exterus, nullam vllibi sedem, aut larem habens, omnia sua secum portans.

Quin nec hodiè lex XII. tabularum aut Papia obtinet, nec vlla qualitatù disparitas impedit contentientium matrimonium, aut dissoluit. c. 1. & tot. tit. X. de coniug. seruatorum.

Et propterea qui tradunt inæqualitatem contrahentium obfistere sponsalibus; accusant vel defectum consensus, quasi ioco quis prociim egerit, & ioco agere intellexerit, aut intelligere debuerit sponsa inæqualis, Sanches de mat. l. 1. d. 10. n. 7. vel quod ex inæqualibus nuptijs, scandala, odia, similiaue incommoda oritura sint, qualia euitare iubeat charitas; & quæ sine peccato mortali admitti vix possint.

Verum agunt in primis de inæqualitate, & distantia valde magna: vt si Comes rusticam mulierem procietur, quamquam Sanches De mat. l. 1. d. 10. n. 6. non tantam distantiam velit esse necessariam, sed remitti illam ad iudicis arbitrium.

Deinde agunt de scandalis, odijs, inimi.

Inæqualitas magna esse debet, vt ius ratio habeatur.

6. Magna iit
scandala,
odii, peri-
culi quasi
certum.

7. V. auferas
tur ius ex
contractu
quæsitum.

inimicitijs omnino certis; nam
certa contractus iustitia eueri
non potest propter incertum mi-
nuendæ charitatis periculū; sicut
etiam magnū scandalum, & mag-
num odium, seu capitale requiri-
tur, & similis causa valde grauis,
antequam alicui auferri possit ius
per contractum quæsitum. quod
ne Princeps quidem potest, nisi
magna admodum ex causa, & pub-
lica. quando damna priuata ce-
dere debent bono publico. *qua de
re videri possunt auctores citati à Fa-
chin. controuers. iur. l. 8. c. 63.* nec
verò quilibet Iudex ea in re, quod
Princeps, potest: nec charitas
communibus iuribus, & Iudicibus
imperat; sed iustitia. vt hanc Or-
dinarij non possint aduersus illam
liberè amplecti. quemadmodum
traditum est, teneri quidem liti-
gatore ex charitate iuramentum
remittere aduersario, quem scit
pœteraturum; Iudex tamen tene-
tur illud huic iniungere, illo in-
stante, ex iustitia, secundum quam
vniciusque ius dicit. quemadmo-
dum etiam acerbus creditor pau-
peri debitori cōmisereri deberet,
iuxta euangelicam, domini ratio-
nem ponentis cum seruis, parabo-
lam; Iudex tamen pauperem con-
demnat, & omnia bona sub hasta
diuidit, & creditoti suum tri-
buatur, & iustitia seruetur: quam-
uis charitas à partibus lædatur. ex-
ceptis illorum casibus, quibus le-
ges priuilegium de ierunt, ne vl-
tra teneantur quam facere possunt.
Et quidem de periculi certitu-
dine, ita reatè Sanchez *de mar.
l. 1. disp. 14. n. 3. caute*, inquit, *con-
siderandum est hoc scandalum, non enim
quodcumque sufficit. sape enim varie
mine iactantur, terroresque opponun-
tur, & discordiarum pericula inten-
tantur; que tamen experientia teste,
vbi deseruit ille impetus, & matrimo-
nium celebratur, in nihilum recidunt,
facileq; animi conciliantur; sedatur-
que omnis tempestas.*

Quod eo magis in hac hypothesi

rationem habet, quod actrix de-
cepta sit per suppositionem cau-
læ; habitu sacerdotali induti, cre-
dens esse proprium viri parochi;
nec antè induci potuit ad copu-
lam, nec credere fidam esse pro-
curationem: quod in imparibus re-
quiritur, saltem in sua causa. *San-
ches de mar. l. 1. d. 10. n. 21.* & inter
Belgas facilius, & securior sit re-
conciliatio: & reus per scelus huc
vsque peruenerit. lex autem *12.
C. de dignit. l. 12.* decreuerit, vt qui
sceleribus se maculauerint, honore,
inquit, *exuti inter pessimos quoque,
& plebeios habeantur: nec sibi post hoc
de eo honore blandiantur, quo scissus in-
dignos indicauerint.*

Quinimo cum per carnalem
copulam sponsalia, seu promissa
de ducendo secutam, censentur
sponsalibus adiectæ conditiones
remitti: *c. 3. & 6. l. de condit. ap-
posita.* eamque præsumptionem
glossa *in d. c. 3.* dicat iuris esse, &
de iure multò magis in foro sacrè
externo, censetur remissa taci-
ta conditio hæc, *nisi nimum sit.*
qualis: quia vis taciti huiusmodi
subintellectus, non potest esse ma-
ior quàm expressi: quidquid autem
huiusmodi expressum esset per
copulam censetur remissum, ego
& quidquid tacitè posset esse
subintellectum.

Et quamuis Sanchez & alij
etiam post copulam negent obli-
gationem ducendi admodum im-
parem; tamen, cum filia sitis in-
tellexit, aut intelligere deuit
se decipi, ex nimia imparita-
te, dumtaxat intelligendi sunt
præsertim in foro interno: nam
in externo magis standum est *d. c.
3. & 6.* in quo etiam huiusmodi
conditio, nisi inæqualis nimium sit,
pro turpi rejiceretur, cum adijce-
retur causa obtinendæ copule
sponsæ. *c. 1. & vlt. eod. vt optime
ideo in fingente respondit Ponti-
fex d. c. tua nos. l. de spons.* quod sine
illius consensu non posset quidem
esse matrimonium, sed quomodo

id in foro externo constitisset, se non videre. adeoque & hic mandandum est in d. iuris presumptione, in externo hoc iudicio. cum & Sanchez fingentem obliget ad ducendum deceptam, ubi non nimia est inæqualitas.

Ut omnibus istis expensis, nec sit vera inter litigantes imparitas, & si quam velimus imaginari ex parte rei, si actricem vxorem ducat; maiora occurrent ex parte actricis incommoda, si vxor non ducatur. timendum enim est ne ex illius parte non desint consanguinei, qui ad vindicandam illius, & familiaris suæ ignominiam incitari non iniusto dolore se credent.

Nunc quod attinet ad inimicitias, quas proculdit reus, pro exceptione altera aduersus promissa; quasi non teneatur eam ducere quis, quam odio habet; ne fortè deterius contingat: c. 2. X. de sponsal. cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. c. 11. X. eod. quod c. loquitur etiam in sponsalibus iuratis. metus quidem non inspicitur, cui metum passus causam dedit, l. si mulier. D. quod met. sed videamus tamen allegatas inimicitias. diuisit eas; Intimatus in duas classes; in vna ponit causas à patre actricis, in altera ab ipsa actrice datas.

Ad patrem quod attinet; res inter alios actæ, quin etiam iudicæ, de iure alijs non nocent; nec alterius per alterum iniquior potest fieri conditio, aut ius auferri; sed & qui iure suo vitur nemini dicitur facere iniuriam.

Ad quid egit pater actricis? non criminaliter, sed vt reus filiam ipsius in facie ecclesiæ pro vxore agnosceret, aut prout iuris est puniretur: sed hunc ipsum modum præscribit c. 2. X. de adult. & stup. decernitque nihilominus, vt stuprator habeat stupratam pro vxore; aut corporaliter castigatus, excommunicatusue in monasteriū, in quo agat penitentiam, detru-

datur; de quo nulla sit egrediendi licentia. & agit d. c. 2. de eo dumtaxat, qui simpliciter quandam virginem stupro decepit: ubi nec fides data de ducendo allegatur, minus iuramentum; minime tam impia fraus suppositi parochi ficti falsiue matrimonij: & tamen detractionem in monasterium si egrediendi facultate, & penitentiam, & excommunicationem infligit, quæ homini bene christiano grauior est, quam mors naturalis.

Et verò dum concludit pater alternatiuè, vt ducat, aut puniatur, talis actio, verè non est criminalis. cessat enim punitio, electo priori membro; ductaque vxore: quam ducere teneatur. vt dicitur ita Deum munerasse hominem libero arbitrio, vt tamen terreret exitio: eum tamen terrorem constat nullas poluisse inimicitias; non obfuisse libero arbitrio. nec verò suauis à patre agi potuit: nisi fortè in conuientia, & taciturni lenocinij suspicionem vellet incidere, & poenam l. vn. C. de rapt. virg. parentibus, inquit, si patientiam exhibuerint, ac dolorem remiserint, deportatione plectendis. si, quod debet, nolit facere reus; imputari debet ei per quem stat, si quid non faciat quod erat ei faciendum. c. imputari. de reg. iur. in 6. etiam illud, si quodcumque incommodum eum sequitur, qui est in culpa. c. damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alijs (nota) imputari. de reg. iur. in 6. l. quod quis. D. eod.

Quoad secundam, quam reus præterdit, causam inimiciarum; producta est in testem actrix, iussa est rem edicere, debuit imperio iudicis parere; & exacto iuriurando satisfacere; ne à vero defestens peieraret. dixit ergo Actrix iudici imperanti veritatem. quod quis mandato facit iudicis dolo facere non videtur, cum habeat parere necessesse. c. cum quis de reg. iur. in 6. l. non videtur §. 1. D. eod. imò, si non faceret,

11. Pericula si ducat minoram, quam si non ducat sic corruptam.

12. Inimicitias.

13. Non zelis mæde nasci ab agente ex formula à iure propofita.

14. Et sibi imputat, qui causam dat.

15. Qui obedit iudici non censetur causam dare inimicitias.

ceret, in dolo esse censeretur. *l. non potest D. eod.* propter publicam auctoritatem, quam non licet contemnere. *c. 2. 4. 5. 6. X. de maior. & obed. tot. tit. X. de test. cog.*

Quin etiam sui causam debuit à Iudice iussu veritatem dicere: ne si illam negasset, infirmarentur probationes, pro ipsa in hac causa faciendae.

16.
Nec qui ad ius suum tuendum veritatem rei gestae proponit.

Quin etiam aatrici sua sponte agenti non minus licitum est rei veritatem in iudicio proponere, ut administrationem iustitiae possit consequi; aduersus inuitum, contumacemque debitorem. ideo enim leges latae, & iudicia instituta sunt. ideo obligatio dicitur iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendae, secundum iura. *Instit. de obligat. in princ.* actio autem nihil aliud esse, quam ius prosequendi in iudicio, quod sibi debetur. *Instit. de act. in princ.* licet ergo filiae seductae, ut id consequatur, quod seductori in *c. 1. & 2. X. de adult.* imponitur, agendo allegare seductionem: licet raptae, ut consequatur quod Conc. *Trid. s. 24. de mat. c. 6. raptor* imponit, allegare raptum: licet deceptae per chyrographum, falsi parochi suppositionem, falsum testimonium contracti matrimonij, quo decepta est, & in copulam venit, ut consequatur, quod ex iure communi, & Tridentino debetur sic deceptae.

17.
Quali raptum vim, & metum hinc fuisse.

Nam in rei veritate, si promissa, quae diximus, suppositio parochi, & sub parochi falso contractum matrimonium, vera sunt; huiusmodi sanè persuasio vim & metum continet, eius aequiparatur, si vnquam importunae preces, persuasionesque, vi & metui aequiualeant. *persuadere*, inquit *l. 1. §. qui bona fide. D. de serm. corrupte. est plus quam compelli, & cogi sibi parere, l. eum 5. C. de apostat. in verb. inuitum seu suasio. l. 3. vers. si quis volentem. D. de libero homine exhibendo. l. vnic. §. penas. vers. si enim C. de*

rapt. virg. in verb. hoc ipsum velle mulierem ab insidijs nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, induitur, nisi enim eam sollicitauerit, nisi aduersis artibus circumuenerit, non fuit eam velle.

Cum ergo reo aduersus atricem nulla procederet promissa ad impetrandam copulam, deuenit tandem ad huiusmodi falsum matrimonium; ab huiusmodi nequissimi hominis insidijs, & odiosis artibus inducta, circumuenta, facta est velle; plus quam compulsa, & coacta est. eamque procul dubio considerauit ratione Conc. *Trid. d. c. 6. vbi simul etiam libera illum*, inquit, *in virum habere censerit, eam raptor in uxorem habeat, teneaturque decenter iudicis arbitrio dotare. vtrumque coniunctum; tam ducere, quam dotare: & quidem praecise ducere liberam, & contentientem; non alternatiue tantum vel dotare. vt solo hoc iure, sepositis promissis, & chyrographis, reus praecise obligatus sit atricem ducere: idque in prima instantia rectè petitum, ad iudicatumque sit: in secunda autem perperam reformatum. quoniam non tantum agere potuit atricem, sed & condemnatum cogere per Iudicem, & censuras. *d. c. 2. X. de adult. d. c. X. literis. X. de spoliis.* & quin etiam ante censurarum inflectionem ciuilibus coactionum modis, etiam carceris. *Mor. Anton. Genuen. in prax. Neapolitan. c. 14.* quia parcendum est censuris, quando executio per distractionem personarum, aut rerum captionem, aut distractionem aliter fieri potest. *Trid. s. 25. c. 3. de reform.* vt nec huiusmodi distractio personae rei, nec distractio rerum, nec censura, aut capturae contumaciae proficere ei possent ad elidendam atricis actionem, & commentandas inimicitias, quae alioquin seductoribus virginum nunquam deesse poterunt.*

Et quoniam, quae de matrimonio

19. Inimicitiarum qui est causa, dissolutionem sponsalium petere non potest. *Sanchez de mat. l. 10. disp. 18. n. 9.* quamvis fortè Iudex cohabitationem procrastinare aliquantulum possit: vt ille animi fluctus interim componat, vt *Sanchez ibid.* ita dicendum est, dissolutionem sponsalium petere non posse illum, in quo solæ illæ resident. dum alij non aliud agunt, quàm vt vxor ducatur, & cessent inimicitia, cum sua causa.

20. Ex capitalibus alioquin requiruntur. Iterum quemadmodum in matrimonio non sufficiunt ad diuortium qualibet rixæ, sæuitiæ, vel inimicitia; sed graues omnino requiruntur, atque capitales: c. *ex transmissa in verb. si autem capitali* od o ita mulierem vir persequitur, quod merito de ipso diffidat: c. *litras in fin. X. de restitut. spoliat. in verbis, si vero si tanta viri seuitia vt mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas prouideri, non solum non debet ei restitui, sed ab eo potius amoueri, alioquin sufficienti (si fieri potest) securitate prouisa, profecto videtur coniux ante causæ cognitionem restituenda marito: vt hinc clarè constet requiri capitales inimicitias. vt & docet Bahlius Pontius de mat. l. 12. c. 12. n. 7. citat. que Hostiensem, Sanchez, Toletum, Egidium, Seraphinum, vide iterum Sanchez de mat. l. 10. disp. 16. n. 6.*

21. Quæ cum hic non sint, superfluet cog. Cum igitur inimicitia, quas reus hic commentatur, demus vt veræ, & ab illo non ortæ forent; non sint capitales: quoniam alternatiua ei permiffa facit actiones omnes esse ciuiles, & criminalem cessare; si, quod facere debet, elegerit: impedimento nullatenus esse possunt executioni obligationis, pro qua actum erat: vt scilicet si matrimonium inter partes clandestinè contractum validum non esset, declararetur sal-

tem validandum, seu solemnizandum in facie ecclesiæ. vt Iudex primæ instantiæ pronuntiauit: & rectè, quemadmodum c. *ex literis X. de sponsal.* mandatur Iudici cognoscere de promiffò ducendi, & iuramento, & si, inquit, *hoc tibi constiterit, eum moueas* (pronunties, seu definias) & si non acquieuerit magnis, ecclesiastica censura compellas (ecce executio pronuntiat) vt ipsam, nisi rationabilis causa obstiterit, in vxorem recipiat, & maritali affectione pertractet. ecce in executione, seu compulsionem proponitur demum rationabilis causa. vt & in d. c. requisiuit X. de sponsal. de muliere inuita, *monenda est*, inquit, *potius, quàm cogenda.* monitio & coactio præsupponunt præuiam decisionem: & in executione illam inquisitionem; an coactio, vt sæpe, ita in particulari difficilem sit habitura exitum: vt rationabilis in executione proponi debet, facta fortè promissorum remissio, aut alia iustæ causæ, quæ superuenerunt, v. g. capitales inimicitia, atque odia certò irreconciliabilia, non leui imaginatione concepta, vt ex Sanchez d. disp. 14. n. 3. in fin. supra retulimus: non quæ culpa tergiversantis aut nata sunt, aut non sedata. vt mora, culpa, dolus tergiversanti non proficiunt.

25. Ne quidem accusatio criminalis causa esset rationalis. Quinimo in c. *quidquid. 32. q. 5.* etiam ob accusationem criminalem non toleratur inter coniuges diuortium; adeoque proportionaliter nec dissolutio sponsalium, d. c. *quemadmodum. d. l. oratio. quidquid*, inquit Nicolaus Papa, *mulier tua contra te cogitauerit, aut fecerit, vel si te accusauerit, non est, excepta causa fornicationis, reuocanda, vel odio prorsus habenda, qua est Apostolo precipiente, sicut ecclesia à Christo diligenda. generaliora sunt in c. 1. & seqq. 5. q. 5.*

26. Intellectus c. 2. X. de sponsal. Quod ergo supra proponitur ex c. 2. X. de sponsal. quod ob odium possint solui; de capitali intelligendum est: vt supra diximus, vel

noscere de promissis. Pronuntias re de obligatione ducendi.

23. Cogere ad implementum.

24. Nisi executioni obfiter causa rationalis.

25. Ne quidem accusatio criminalis causa esset rationalis.

26. Intellectus c. 2. X. de sponsal.

de dissolutione quæ fiat communi consensu, ut fieri potest, *in verb. sibi remittunt*, eoque maximè videtur spectare ob eadem verba, ac denique ubi nec iuramentum, nec copula intercessit: cum neutrius ibi sit mentio, sed fidei tantum. & quidem iure civili etiam inuito altero sponsalia alter potest dissolvere; sed non itidem per canones, *d. c. ex literis*, quod autem *d. c. 2.* sponsalia societati comparet, facit quoad communem consensum; non verò quoad renuntiationem vni inuito altero. sed etsi in eo comparari possit; non tamen in tempestivè socius renuntiare potest. *l. actioni. §. diximus. D. pro socio in verb. cotempore, quo interfuit non dixim societatem. item qui societatem, in tempus coit, eam ante tempus renuntians, socium à se, non se à socio liberat.* quare renuntiatio post rem non integram, & copulam fieri non potest; nec ante tempus, id est, finem vitæ, quo usque societas contrahi potest. *l. 1. D. eod. & sponsalia & matrimonium spectant indiuiduam vitæ societatem quæ, finiri non potest, nisi per alterius mortem.*

Alterum caput supra citatum videlicet *c. requisivit. X. de sponsal.* loquitur etiam de causis gravissimis, ut odio capitali, ut *Sanches sent. post plures quos citat d. c. 14. n. 3. in fin. disp. 58. n. 3.* alioquin vanus inimicitarum timor non sufficit, ut *ibidem Sanches in fin. ubi de vano timore accipit c. veniens X. qui veniens. clerici vel videntes, quamquam X. qui clerici.* forte rectius de sæuitia, quæ non sit mortalis, aut ad inimicitiam capitalem sufficiens. & propterea mulier ibi nolendo nubere, sponsum à se liberauerat, isque uxorem duxerat. iubet tamen Pontifex de fide mentita, quod in casu capitalium inimicitarum dici nequit, mulierem puniri. quod si vir aliam non duxisset, sed illam fidem servare voluisset, moneri illam, & compelli iussisset Pontifex, *iuxta*

d. c. ex literis. 10. X. de sponsal. cum illud sit Alexandri III. & eiusdem sit *d. c. veniens*, adeoque committere vtrumque omnino sit accipiendum.

Itaque cum hic neque inimicitarum origo, aut causa à parte aëtrici sit; neque graues esse possint, aut capitales, vnde cumque sint; sanè solemnizando matrimonio obesse iure non possunt, neque dubitandum est; postquam contractum illud erit, facile bonis aëtrici gratijs reum leniendum: quid adhuc in stomacho durioris superfuert digestionis. memorabuntur coniuges, Romæ fuisse templum deæ Viriplacæ: in quod ibant coniuges, & si quid domi iurgii incidisset, locuti quæ volebant, reconciliabantur: idemque inter hos litigantes successurum omnes causas circumstantiæ debent persuadere.

Attentis his omnibus videtur omnino sententiam per Iudicem vltimum latam esse retractandam, & à priori Iudice latam confirmando, reum ad solemnizandum cum aëtrice matrimonium condemnandum, prudenterque cogendum esse.

De secundis nuptijs.

RESPONSVM. I.

*Vt leges non retrotrahantur,
& quid in negotio imperfecto?*

TRitum est, leges futuris dare formam negotijs, non trahi ad præterita, nisi exprimat. *l. leges. C. de leg. c. 2. X. de constit. & ne tunc quidem ad negotia iam perfecta: per quæ partibus ius quæsitum, non præsumitur Princeps auferre velle.*

Verùm ubi factum de præterito expectat perfectionem à futuro,